

DEO OPTIMO MAX.

UNI ET TRINO,

VIRGINI DEI-PARÆ, ET S. LUCÆ,
Orthodoxorum Medicorum Patrono.



QUÆSTIO MEDICA,

CARDINALITIIS DISPUTATIONIBUS, manè discutienda, in Scholis Medicorum, die Martis decimâ-quartâ mensis Aprilis, anno Domini M. DCC. LXVII.

M. PETRO-AUGUSTINO ADET,

Doctore Medico, Præside.

An tuendæ sanitati, magis conducat, longa & ampla vestis, quam brevis & angusta?

I.



MEDICI est, præsentem tueri sanitatem, imminentis arcere morbi periculum, pravam emendare valetudinem, quin immò pleniorem & ad extremum apicem perductam solvere, ne ruat in pejus. Omne vero quod ad propositum hunc finem collimare potest, illud, etsi minimum est, nullatenus tamen est negligendum. Medicum itaque

non dedecet de vestibus differere, quæ, si bene ordinantur, præsentis fiunt tutela sanitatis, nonnullos valent præcavere morbos, sin minùs, animalem perturbare œconomiam, & amplæ morborum segeti possunt ansam præbere. Scilicet, nunc auctâ, nunc apte minutâ vestium quantitate, mutatâ etiam ipsarum naturâ pro diversâ athmosphæræ conditione, non nihil boni exurgit, quæ si incautè mutarentur, aut semper essent eædem, quanta prodiret calamitatum ilias!

At quod de numero & naturâ vestium dixere omnes, id nos de formâ asserere non dubitamus. Iis quippe qui longâ & amplâ veste utuntur, firmissima viget robusti corporis sanitas; nulla ferè, aut pauca saltem ab atmosphæræ ambientis intemperie metuenda habent incommoda. Illorum vero qui breves & angustas gerunt vestes sors est planè diversa: his sæpe debile est & caducum corpus, horum capitibus incumbit numerosa morborum cohors: verbo dicam: prior vestis nihil mali, plurimum vero boni, posterior è contra nihil boni, plurimum vero mali affert, quæ duo tum ratione, tum experientiâ demonstrantur.

I I.

NON incautè sane se gessit ille, qui longam & amplam vestem induit primus, cum hæc vestium forma, cæteris sit longè præstantior. Quippe à collo ad infimum usque pedem protenditur vestis, hanc inter & corpus aliquod adest spatium: nullis genua, lumbi, collum, & humeri comprehenduntur vinculis; sic integra servatur motuum omnium libertas. Liber fit fluidorum omnium circuitus; nihil obstat quominus singulæ corporis partes nutriantur & crescant ut decet. Aliud est etiam non minoris momenti. Scilicet, ampla ista vestis athmosphæram corpus ambientem ita coercet, ut quemdam caloris uniformis & mediocris gradum adipiscatur, qui semper idem remanet: hic verò frigidi nimis aut calidi aëris impressionem moderatur, ita ut irruens aer, si sit frigidior, calorem illius qui intra vestim & corpus continetur, accipiat, si è contra sit calidior, paululum frigescat, connubium ineundo, cum athmosphærâ frigidiore. Nullus est mutationis subitaneæ metus, vitantur proinde nonnulli morbi qui abisto fonte ducunt originem.

I I I.

AT vero brevis & angustæ vestis effectus non est idem. Hâc immediate tegitur corpus. Nullum præbet aeri externo transitum: augetur cutis calor ultra modum, continuò cietur perspirationis effluxus qui eò sanior est quò liberior, non temperatur athmosphæræ frigidioris aut calidioris impetus: mutari subitò potest artificialis ille calor ab immediato vestis contactu ortus: non obvolvitur, sed potius in-

carceratur corpus, sua sunt enim pedibus, genubus, lumbis & axillis, sua sunt collo stragula, quibus impediuntur fluidorum cujuscunque generis, itus per arterias, & per venas reditus. Difficiles fiunt motus; si per aliquod tempus perstent, brevi subsequitur fatigatio, cui paulò post succedit dolor sat gravis. Hæc ad adultos tantum pertinent; at quanto infeliciores adhùc sunt infantes & puellæ, quibus fasciis * & loricis ita constringuntur pectus & artus, ut ipsis quasi prælo violenter præpediantur. Hinc nascitur vehemens partium intùs contentarum pressio, quâ etiam impeditur artuum robur & incrementum.

* Vide Thesim an fascia infantibus, lorica puellis.

I V.

HAC brevi vestis utriusque descriptione patet, priorem posteriori longe præstare: nulla enim secum affert incommoda, dum plurimis it obviam; & ex alterius usu multa nascuntur quæ præsentem corporis sani statum mutare possunt in pejus. Hæc, ut supra diximus, omnem motuum omnium servat libertatem, unde fit ut absque ullo fatigationis, aut doloris sensu, diuturnam artus patiantur exercitationem, sanitatis conservatricem, cujus beneficio fovetur nativus corporis calor, augetur fibræ muscularis elaterium, vegetior & facilior redditur alimentorum concoctio, chylique distributio, felicior fit nutritio, promptior evadit circuitus humorum qui morâ suâ perniciem sunt aspersuri visceribus: labore demùm & exercitio servatur functionum omnium libertas & integritas, firmatur corpus alioquin infirmum & debile evasurum.

At videte eos qui vestem gerunt angustam, ut ipsi brachia pedesque per aliquod tempus nequeant movere, quin doleant; frustra vellent currere, cum solam ipsam deambulationem diù tolerare non possint. Cernite homines istos quibus robustum & duri laboris patiens corpus dedit natura. Si onus aliquod ingens sublevandum, trahendum, aut gestandum habeant, nonne vestem exuunt, leve pondus equidem, quod tamen ipsis maximum affert incommodum, axillas premendo, Brachiorumque motus impediendo. Interrogate milites, vix arma à lævâ ad dextram, à dextrâ ad sinistram manum movere possunt, nisi maxime ipsis doleant humeri: ubi vero castra metanda sunt, aut longum iter brevi tempore conficiendum, quàm vellent nullis pedes suos, genua, humeros constringi vinculis!

Non nullos etiam ex usu brevis & angustæ vestis timendos esse morbos, facili de negotio comprobatur. Cur enim tot infantes vari sunt, aut valgi, aut gibbi, nisi quia nutrices pessimâ sanè methodo, fasciis totum corpus angustare consueverunt. Inæqualis quippe pressio mollia adhuc ossa in hanc vel illam partem flectit & distorquet ita, ut

nullâ deinceps arte ad priſtinum ſtatum revocari queant. Ipſa quoque apoplexia infantum capita ſæpe minatur. Apud adultos nonne tumoribus cujuſlibet generis, præſertim vero lymphaticis anſam præbent vincula omnibus incumbentia partibus.

Felices ſane illi, qui longâ & amplâ veſte utuntur. Nil tale metuendum habent, & alia vitant incommoda à repente cohibitâ perſpiratione oriunda. Non enim frigidior aer corpus ſubito corripit: athmoſphæræ ambienti prius eſt immiſcendus, quâ minuitur ejus impetus. Raro itaque apud ipſos obtinent rheumatiſmi, tuſſes, catharri, cæterique id genus morbi, qui frequentius iis incumbunt, qui veſtem gerunt anguſtam.

V.

QUOD ratio ſuadet, id confirmat experientia. Teſtes ſunt infantes illi, qui plurimis abhinc annis, juxta prudens medicorum conſilium, nullis omnino faſciis involuti, levi largâque tecti tunicâ fuerunt lactati, deincepsque longam & amplam veſtem induerunt. Iſti non molles & delicatuli, ſed toroſi ſunt & robuſti. Saltant, currunt, natant, magna jam trahunt pondera, eâ ætate, quâ vix pedes, brachia aut corpus agitare incipiunt alii. Non diſtorquentur aut dimoventur illorum tibiæ, non incurvatur ſpina, ſed ad optimæ parentis naturæ votum diſponitur & creſcit omne corpus.

At inquies: perſpirationi favet brevis & anguſta veſtis, & à liberâ perſpiratione ſequitur functionum omnium libertas. Verum, quid inde? Num ipſi nocet longa & & ampla veſtis? Minimè quidem; cum ſervatâ motuum cujuſlibet generis libertate, ſolis naturæ viribus res committatur. Hinc fit ut conſtans ſemper & uniformis ſit humoris perſpiratorii effluxus: immò inſenſilem perſpirationem ciere, periculoſum eſt ſæpiſſimè. In vanùm ergo objicitur illud quod opinioni noſtræ favet potius quam adverſatur.

Ergò tuendæ ſanitati, magis conducit longa & ampla veſtis, quam brevis & anguſta.

Proponebat Pariſiis PETRUS-MARIA VIEILLARD, Pariſinus, Saluberrimæ Facultatis Medicinæ Pariſienſis Baccalaureus, Theſeos Auctor A. R. S. H. 1767. A SEXTA AD MERIDIEM.

Typis QUILLAU, Univerſitatis & Facultatis Medicinæ Typographi.